



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

LV. De sex hydriis spiritualibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

abnegare. Secularia desideria sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ: quæ trahunt & inclinant ad amorem sæculi. Istis abnegatis vivit homo sobriè, refrenans concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, superbiam vitæ. Postquam vero incipit esse sobrius, contra duplicem ebrietatem duplicem ponit sobrietatem. Ebrietas exterior voluptatum effusio, interior curiositatum occupatio. Econtra sobrietas exterior voluptatum refrenatio, interior curiositatum exclusio. Ita vivit homo sobriè quantum ad seipsum, iuste quantum ad proximum, cui exhibet quod iustum est. Iustitia est in duobus, in innocentia & in beneficentia. Innocentia iustitiam inchoat, beneficentia consummat. Piè quantum ad Deum. Pietas est in duobus, ut de nobis non præsumamus, sed in Deo perfectè confidamus: ut per eum omnia mundi impedimenta vincamus. In Deo non est diffidendum, sed securè & fiducialiter est agendum. Ipse tanquam pius & laudabilis medicus prius bibit potionem quam parabat suis, id est passionem & mortem sustinuit, & sic sanitatem immortalitatis accepit, & impassibilitatis, docens suos ut confidenter biberent potionem quæ generat sanitatem & vitam: & qui post passionem vitæ æterna vivit, spem dat nobis ut idem speremus ab eo securi.

## S E R M O L V.

## De sex hydriis spiritualibus.

**E**rant ibi posite lapideæ sex hydriæ secundum purificationem Iudeorum. Intelligamus has sex hydrias positas, esse sex observantias servis Dei propositas, in quibus tanquam Iudæi purificari debeant. Sunt autem istæ, Silentium, Psalmodia, Vigiliæ, Ieiunium, Opus manuum, Carnis munditia. In hydria *Silentii* purificamur à peccatis quæ verbositate contrahimus. Cuius vitii sunt octo species. Est enim verbum stultum, vanum, mendax, ociosum, dolosum, maledicum, impudicum, excusatorium. Quæ nimirum pestis de loquacitate nascitur, & per silentii censuram, aut evertitur funditus, aut certe ne multum noceat, reprimitur. In *psalmodia* fit duplex confessio, ubi & peccator de culpis compungitur, & Deo laudes super iudicia iustitiæ suæ dicuntur. In hac ergo hydria Iudæus quisque, qui scilicet rectè confitetur, purificatur ab immundo spiritu blasphemæ, cui ante conversionem subiacebat. Dum enim seipsum laudaret, ac Deum accusaret, quid aliud quàm blasphemus erat? An non sunt blasphemus qui dicunt *b, non est aqua via Domini?* An non insipiens ille blasphemus, qui dicit in corde suo *c, non est Deus?* Iam verò conversus & confessus, canticisque divinis instructus, correctæ vita corrigit & verba seque ipsum accusans, mala mihi computat. Deum autem laudans, bonum quod in se videt, non sibi, sed illi applicat: & hoc totum agitur in psalmodia. Per psalmodiam accipe

Joan. 2. a  
Sex hydria  
propol.

Silentium.  
Loquacitatis  
est species.

Psalmodia.

Iuda hebr.  
interpr. con-  
fessio.

Ezech. 18. f  
Psal. 52. a



accipe quicquid Deo agitur cum mentis melodia, sive sint psalmi, sive hymni, sive etiam quæcunque cantica.

Tertiam hydriam posui superius *Vigilias* : has semper debet comitari orationum instantia. Unde & Dominus in Evangelio legitur in oratione pernoctasse *d* : & discipulos suos exhortans, utrumque simul conjunxit, dicens *e* : *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Tales vigiliæ abluunt nos à sordibus, quas contraximus per somnolentiam resoluti, dum oblivione quadam à via salutis intepuimus ac torpuimus. Quarta hydria est *ieiunium*, de quo quis dubitet an & ipsum purificet? Vera est illa sententia : Contrariis curantur contraria. Si ergò per gulam peccavimus & ingluviem, quid restat nisi ut per abstinentiam repareremur? Nec solum huius vitii fit per ieiunium purificatio, insuper & virtus ad expellendos dæmones comparatur, dicente Domino *f* : *Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & ieiunio.*

Sequitur quinta hydria quæ dicitur *Opus manuum*. In quo si quærat an sit aliqua purificatio, facile potest inveniri per multa. Nam ut plurima præteream, hoc solum quanti sit præconii, quantæ gratiæ, quis dignè æstimet suo quemque labore transigere, ac nullius aliquid desiderare? Ac ne me quisquam putet hæc magis declamatoriè, quàm ex veritate proferre, audiat ipsum doctorem nostrum, in fide & veritate Apostolum Paulum scribentem ad Thessalonicenses, hæc ipsa docentem & præcipientem : *Rogamus vos, inquit g, fratres, ut abundetis magis, & operam detis ut quieti sitis, & ut vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris sicut præcipimus vobis, & ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis.* Audiatur eundem ipsum facientem quæ docebat. *Ipsi enim scitis, inquit h, quemadmodum oporteat vos imitari nos : quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque panem gratis manducavimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrum gravaremus.* Item audiatur docentem quæ faciebat *i* : *Cum essemus apud vos, hæc denuuciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari nec manducet.* Vides quàm sollicitè observandum præcepit Doctor gentium opus manuum? Cur hoc tantoperè curavit, nisi quia sicut bonus & diligens pastor hoc ovium salutis plurimum expedire providit?

Restat ultima *Carnis munditia*. In hac fit purificatio ab illa quinquepertita corporis illecebra, visus, auditus, gustus, odoratus, tactus. Et cætera quidem prædicta, id est silentium, psalmodia, vigiliæ, ieiunium, opus manuum exerceri sine ista possunt : sed si lumbi præcincti non sint, id est, si deficit carnis munditia, lucernæ ardentes quid proderunt? Hinc ergò colligendum est, quòd sit necessaria huius hydriæ purificatio, quæ sola omnibus supradictis æquipollentem obtinet vim salutis. Et notandum quòd

3. *Vigilia.*

*d* Luc. 6. b  
*e* Marc. 14. d  
& Luc. 12.

4. *Ieiunium.*  
*Eius utilitas.*

*f* Marc. 9. e

5. *Opus manuum :*

*Commendatur testimonio & exemplo Apost.*

*g* 1. *Thess.* 4.

*h* 2. *Thess.* 3. b

*i* *Ibid.* c

6. *Munditia carnis.*

*Eius necessitas.*



Ordinatio ista-  
rum hydria-  
rum.

1. Theff. 4. a

quòd in his omnibus observantiis quatuor primas debemus nobis, quin-  
tam proximo, sextam Deo. Nam silentium, psalmodiam, vigiliis, jeiu-  
nium debet quisque exercere propter seipsum; hoc est propter suam  
disciplinam: opus manuum propter proximum, ne quem gravet, sed  
magis habeat unde tribuat necessitatem patienti: carnis munditiam pro-  
pter Deum, ut illi placeat, & eius voluntatem faciat. Unde scriptum est <sup>k</sup>:  
*Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione,  
ut sciat unusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione & honore.*  
Quòd autem illæ hydriæ lapideæ dicuntur, significat quòd sine aliqua  
difficultate observari non possunt, & quòd dura & aspera est via quæ ducit  
ad vitam. Vel certè lapideæ dicuntur propter fortitudinem, ne facile  
frangantur aut dissolvantur, & effundatur liquor gratiæ qui in eis continetur:  
quod utique citò contingere posset, si vel fictiles essent, vel lignæ,  
seu cuiuslibet alterius fragilis materiæ. Vel etiam lapideæ, id est Christi-  
næ, à lapide Christo, ut scilicet in fide Christi fiant.

\* videtur co-  
hæerere cum  
superiore  
serm.

Ioan. 2. a

Prov. 14. d

Ioan. 2. a

Osee. 8. a

timor triplex,  
el amittendi  
loriam, vel in-  
terrendi g-  
ennam vel

S E R M O LVI.\*

De hydriis mysticis implendis triplici timore.

**C**apientes singulæ metretas binas vel ternas <sup>a</sup>. Hic primum sciendum est,  
quòd huiusmodi hydriæ aliquando sunt vacuæ, aliquando sunt plenæ.  
Plenæ autem aliquando veneno, aliquando aquâ, interdum etiam vino.  
Vacuæ quippe & inanes sunt, cum pro inani gloria vel aliquo temporali  
emolumento fiunt. Plenæ veneno sunt, si cum murmure & animi rancore  
gerantur. Aqua plenæ dicuntur, cum ex timore Dei observantur. Siqui-  
dem per aquam timor intelligitur. Unde & apud Salomonem legitur <sup>a</sup>:  
*Timor Domini, fons vitæ.* Vino autem plenæ sunt, cum timor vertitur in  
amorem; cum charitas excludit timorem, cum ea quæ prius observabantur  
timore pœnæ, iam exercentur delectatione & amore iustitiæ. Ut vacuæ vel  
veneno infectæ sint non vult Dominus, ut impleantur aqua jubet Dominus:  
ut autem aqua in vinum vertatur, hoc facit Dominus. Sed quibus imple-  
re hydrias aqua imperat Dominus? Ministris utiq; quos & constituit super  
familiam suam, ut dent illis in tempore tritici mensuram: quibus tamen  
Maria primum suggererit, dicens <sup>b</sup>: *Quodcumq; dixerit vobis, facite.* Quo ex-  
emplo innuitur, quòd officium prædicationis non debent usurpare sibi, ni-  
si quos Maria, id est, mater gratiæ prius instruxerit. Alioquin dicitur eis:  
*Regnaverunt, & non ex me, principes extiterunt, & ego ignoravi.* Impleant ergo  
ministri hydrias aqua; prædicent mira de dulcedine regni; intentent hor-  
renda de terrore supplicii: sit summus auditoribus de utroq; timor, ne vel  
illo fraudentur, vel isto plectantur, & ita capiunt hydriæ metretas binas. Quid  
est autem vel ternas? Addatur illis duobus tertius timor, & capiunt hydriæ  
metretas